



**Confessio Henrici IV, christianissimi Francorum et  
Navarrorum regi : proposita ad judicandum utrique parti  
dissentientium de religione in regno Galliae, donec in synodo  
provinciali controversiae religionis examinentur ac  
dijudicentur accuratius**

<https://hdl.handle.net/1874/14750>

CONFESSIO

Henrici IV.

CHRISTIANISSIMI  
FRANCORVM ET NA-  
VARRORVM REGIS:

Proposita

AD IVDICANDVM VTRIQUE  
parti diffidentium de Religione in Regno Gallix:  
donec in Synodo prouinciali controuersix  
Religionis examinentur ac dijudicen-  
tur accuratius.

EX GALLICO IN LATINVM  
*conuersa, & citra præiudicium alterutrius partis  
in lucem edita pio studio iuxta vocem Christi:  
Nemo accensam lucernam ponit subter  
modium.*



Impressum, Anno  
M. D. XCII.

CONFESSIO HENRICI  
IV. CHRISTIANISSIMI FRAN-  
CORVM ET NAVARRORVM

REGIS.

I.



Redo totam scripturam Canonica-  
cam (quæ doctrina fundamentalis est, à 2. Pet. 1. 21.  
sanctis Prophetis & Apostolis conscri- 2. Tim. 3. 16.  
pta) esse diuinitus inspiratam, & per  
consequens perfectè vtilem ad docendum, con-  
uincendum, corrigendum, & instituendum in iusti-  
tia, velut solam fidei vitæque Christianæ Regulam.

II.

Credo huius fidei, quam scriptura docet, ana-  
logiam & consensum symbolo Apostolorum sum-  
matim esse compræhensum. Quod symbolum in  
Ecclesia Catholica confitemur, dicendo, Credo in  
Deum &c.

III.

Credo ex eodem symbolo cognosci à nobis o-  
portere, primùm quidem Deum, in quem credi- Genes. 1.  
mus, vt qui principium est & causa suprema omni- Act. 7. 24.  
um, in quem, & à quo, per quem, & propter quem Rom. 11.  
ordinata sunt omnia: Deinde verò Ecclesiam, quã 36.  
credimus, vt quæ summum opus est, quod Deus su- Colos. 1. 18.  
pra alias res creatas omneis proprium efficit, & ad- Jacob. 1. 18.  
jungit sibi propter solam bonitatem suam.

A 2 Credo

#### IV.

**Credo in Deum : non solum Deum esse, puta**  
**essentiam simplicissimam, perfectissimam, infinitam, æternam, veracem, æternumque immutabilem secundum esse ipsius & omnino secundum omnia, verumetiam eum solum esse cui me oportet committere, meque committo planè corpore animoque ad vitam præsentem & futuram, prout cùm à natura est, tùm verbo suo se declarat esse principium omnium : cui soli propterea confido & obsequor, quem solum inuoco, agnosco, adoro, & colo ex toto animo meo in Spiritu & Veritate.**

Heb. 11. 6.  
 Ioh. 4. 24.  
 Psal. 145. 8.  
 Matth. 19. 17.  
 1. Reg. 8. 27.  
 Psal. 145. 10.  
 Iacob. 1. 17.  
 Osee 12. 6.  
 1. Tim. 4. 8.  
 Ierem. 17. 7.  
 Deut. 6. 13.  
 Psal. 100. 2.  
 Matth. 4. 10.  
 Ioh. 4. 24.

#### V.

**Credo in vnitatem essentiæ divinæ tres Personas distinctas esse secundum proprietates incommunicabiles ipsarum, Patrem gignentem, Filium genitum à Patre, & Spiritum sanctum à Patre ac Filio procedentem, quæ personæ sunt Deus vnicus benedictus in secula.**

Matth. 28. 19.  
 Deut. 6. 4.

#### VI.

**Credo prout Deus vnicus est æternum subsistens in personis, ita etiam illi vnã eandemque scientiam, consilium, voluntatem, & potentiam inde ab æterno esse : secundum quam præuidet omnia, prouidet omnibus, ordinat omnia, dirigitque omnia, Angelos etiam hominesque, ad eum finem qui ipsi æternum placet, pro sapientia, bonitate, potentiaque infinita ipsius.**

Ioh. 16. 13.  
 & 17. 10.  
 Iob. 26. & 28. & 38.  
 Esa. 41. 26.  
 & 45. 11.  
 Matth. 10. 29.  
 Act. 4. 28.  
 1. Tim. 5. 21.  
 Ephes. 1. 4.

**Credo**

## VII.

Credo illa sapientia, bonitate, potentiaque infinita sua Deum fecisse secula: & quicquid est in eis: & ea sic verbo potente suo sustentare, agere & gubernare, ut ne passer quidem in terram decidat sine voluntate ipsius.

Genes. 7.  
Iob. 38. & 39.  
Matth. 10. 29

## VIII.

Credo hominē (prout omnis creatura, quā Deus fecerat bonā, est per se mutabilis) delapsū de sua origine & perfectione in qua fuerat creatus, ac proinde naturam omni ex parte veneno peccati originalis corruptam esse: nihilominus autem sic Deum Patrem dilexisse mundum, ut Filium suum ipsius tradiderit ad perfectam suorum redemptionem præstandam in ipso.

Gen. 1. 31.  
Psalm. 102.  
17.  
Gen. 3.  
Gen. 6. 5.  
& 8. 24.  
Psal. 51. 7.  
Ioh. 3. 17.

## IX.

Credo Filium Dei respectu finis propter quem missus est, nobis perfectè Iesum, id est, servatorem esse: respectu verò donorum quæ ad hunc finem sunt opus, eundem esse perfectè Christum, id est, unctum spiritu sine mensura, ut perfectè suam illam vocationem Prophetæ siue Doctoris, Sacerdotis, & Regis apud homines exequatur.

Math. 1. 14.  
Act. 4. 12.  
Act. 4. 27.  
Ioh. 3. 34.  
Hebr. 1. & 8.

## X.

Credo Iesum Christum, si ad personam respexeris, verum Deum verumq; hominem esse in unitate personæ: Verum Deum, ut qui filius unigenitus à Patre: & Dominus noster est dominatus etiam diuino & æternū communi cum Patre: Ioh. 1. 9.

Ioh. 1. 14.  
Ioh. 1. 9.

verum hominem , vt qui conceptus est ex spiritu sancto in omni sanctitate , & natus ex Maria virgine in veritate naturæ humanæ , quam de substantia matris suæ assumpsit sibi in vnitatem personæ.

Matth. 1. 18.  
& 20.  
Matth. 2.  
Heb. 2. 14.  
& 16.

### XI.

Credo quod ad exequutionem sui officij, Christum passum esse Corpore & anima humana sua propter peccata nostra, sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, sepultum, & ad inferos descendisse : deuictisque in natura humana sua perpeffionibus per suam illam potentiam diuinam, quæ naturam humanam sustentabat ( prout semper inde à conceptu primo ) in vnitatem personæ , adeptam esse gloriam, quæ inde consequuta est, quum resurrexit ex mortuis, ascendit in cœlos, & sedit ad dextram Dei Patris sui : & eandem porrò gloriam completurum esse in beato illo die, quo venturus est de cœlo, ad iudicandum viuos & mortuos.

Matth. 28.  
Marc. 16. 19.  
Act. 1. 11.  
1. Tim. 4.

### XII.

Credo in spiritum sanctum : quia est tertia Persona diuina à Patre & Filio procedens : & vitam salutarem sanctitatemque inspirat ijs quos Deus adunauit, & proprios sibi fecit ad vitam æternam,

Joh. 14. &  
16.  
1. Cor. 12.  
9. & seq.

### XIII.

Credo sanctam Ecclesiam Catholicam & vniuersalem, in numero creaturarum Dei esse, corpus vnum coagmentatum ex membris electis & ordi-

Act. 2. 47.

ordinatis ad vitam æternam, quæ vira & sanctificatione spiritus habentis in ipsis caput habent Iesum Christum (non quenquam alterum) prout in ipso genuit illa Pater: atque hoc corpus Catholicum seu vniuersale esse citra determinationem circumscriptionemque temporis & loci, vnà complectens omnia membra Christi, quæ sunt in cœlo & terra ab vna extremitate mûdi ad alteram, & inde à principio ad finem seculorum vsque. Ex quo sequitur neminem hominem posse auctoritatem sibi in eam Ecclesiam asserere.

Rom. 8. 9.  
Ephes. 1. 22.  
& 3. 25.  
Col. 1. 18.  
& 2. 10.  
Matth. 11.  
27.  
Ioh. 1. 12.  
Ephes. 1. 10.  
Colof. 1. 20.

#### XIV.

Credo me esse corporis istius membrum, & de eo confirmor communionem sanctorum: primùm quia communionem inuisibilem habeo cum Deo Patre qui genuit me, cum Filio qui caput est mihi, cum spiritu sancto, qui viuificat & sanctificat omnia membra illius, & cum omnibus sanctis dilectis Dei in illo: secundò quia communionem habeo visibilem cum Ecclesia visibili, rebus sanctis & earum signis, quæ Deus in illa ordinavit. Et quamuis Ecclesia vna alteram superet puritate vitæ, doctrinæ, & administrationis suæ, imperfectionem tamen illam minimè obstare, quin singulæ sint Ecclesie Christi, nisi cum ipsæ, fundamentis, Christi, tum ipsis Ecclesijs Deus, diuortio publico & solenni renunciauerit.

1. Ioh. 1. 3.  
1. Cor. 10.  
& 11. & 12.  
Apocal. 1. 8.  
Esa. 50. 1.

#### XV.

Credo res sanctas, quibus communico cum sancto-

1. Tim. 2. &  
2. & 3.

Rom. 12.  
6. & seq.

sanctorum cōmunionē & Ecclesia visibili esse has :  
verbum Dei, quo nobiscum ille communicat : ora-  
tionem, qua communicamus cum ipso : & ordinem  
ministerij Ecclesiastici, quo dirigimur atque exer-  
cemur in omni cōmunionē sancta cum Deo & alij  
cum alijs inter nos, siue per Pastores in doctrina pie-  
tatis, siue per Presbyteros Senioresue in spiritali  
administratiōe, siue per Diaconos in communica-  
tione cum sanctis & subuentione difficultatum cor-  
poralium.

### XVI.

Rom. 6. 5.  
Gal. 3. 27.  
Colof. 2. 12.  
1. Cor. 10.  
& 11.

Credo signa à Christo Ecclesiæ imperata, ordi-  
naria omnium membrorum eius, quæ Sacramenta  
dicimus, esse Baptismum & sacram Cœnam : Ba-  
ptismum, quo inferimur in Christum, cum indui-  
mus, & in Ecclesiam ingredimur : Cœnam, qua  
spiritaliter alimur augeturque fide in commu-  
nionē Christi, veræ carnis & veri sanguinis ipsius,  
annunciantes mortem ipsius vsque dum venerit,

### XVII.

1. Cor. 14.  
40.

Credo alia signa & ceremonias in Ecclesia non  
esse ex necessitate, vñ illa Sacramēta sunt, sed aut exē-  
plis aut traditionibus fūdata esse: Quæ signa nitūtur  
exemplis docētibus & cōuenientiam cum honestate  
& ordine habentibus, vt est impositio manuum  
in Catechumenos, in pœnitentes, & in eos qui sacris  
functionib⁹ à Deo imperatis initiātur, ea seruari pos-  
se : Quæ verò nitūtur exēplis, aut extraordinarijs, vt  
sūt saluæ



*saluæ & luti, aut temporarijs, quæ olim coniuncta miraculis fuerunt vtilia confirmandæ doctrinæ Eu- Marc. 6. 13. & 16. 18. Iacob. 5. 14.*  
 angelij in illa nascente primitiuâque Ecclesia, vt fuit vnctio olei, horum vsus memoria nostra retineri alienum duco. Quod autem ad signa, quæ fundata sunt traditionibus, ea iudicio meo tolerari possunt, quæ nec directè nec per consequentiam veniunt contra veritatem aut simplicitatem Christi, nec Gal. 3. 4. superstitionem animis ingenerant, nec conscientijs & 5. Christianis imponunt seruitutis iugum, quia res sunt ex sese indifferentes: Alioqui non iam indifferentes esse, neque seruare eas Christianum quencolof. 2. 20. quam bona fide posse, si hæc absurda quocunque modo ex eis orientur.

### XIIX.

Credo remissionem peccatorum: quandoquidẽ Iesus Christus, qui traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter Iustificationem nostram, gratis seipsum dedit nobis, & nos vindicauit sibi: Rom. 4. 25.  
 In quo & iustificamur corã Deo, non operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundũ misericordiam Rom. 4. Tit. 3. 5.  
 eius per lauacrum regenerationis, & renouationem Spiritus sancti, per quem mortificato vetere homine & nouo in me suscitato ad iustitiam & sanctitatem veritatis, imputat mihi iustitiam perfectam Ephes. 4. 22. Rom. 3. & 4.  
 suam, & omnes defectus imperfectionesque meas mihi condonat per gratiam.

### XIX.

Credo hanc iustificationem meam coram Deo Rom. 3. 22.

B

per-

18-8385  
Rom. 3. 27.  
& 4. 5.

Iacob 2. 24.

perfectã esse eo ipso momẽto, quo me seruator meus Iesus adsciscit in cõmunione suam : sed eandem nobis retegì & declarari secundũ varios illos gradus quibus nos iustificari scriptura nobis prædicat. Nam primũ reuelatur fidei cuique in sua ipsius conscientia, & fidelis eã præhendit fide : qua ratione scriptura dicit nos Iustificari fide sine operibus vel Legis ipsius. Secundò reuelatur quoque alijs effectu per fructus ipsius, Cum eã demonstramus corã hominibus obedientia fidei : quo respectu scriptura dicit nos operibus iustificari, ac non fide solum.

## XX.

Ioh. 5. 28.  
1. Cor. 15.  
Tit. 3. 4.

Credo Deum respicientẽ gratis ad perfectam illam Iustitiã Christi habitantis in me dare mihi vestito in hunc modũ iustitia Christi, in remissionem peccatorũ, resurrectionem carnis, & vitam æternam, non propter opera mea vniuersè aut ex parte vlla, sed propter solam ipsius gratiã : proinde certus sum, prout in ipso iustificatus sum per gratiã, ita etiã me in æternum salute fruiturum in Iesu Christo Domino nostro.

